

IN NOMINE SS. TRINITATIS, DEI PATRIS,
FILII, ET SPIRITUS SANCTI,
SUMMI, OPTIMI, MAXIMI JUBILÆORUM CONDITORIS,
CONSERVATORIS, ET PROMOTORIS!
DISPUTATIONEM SOLENNEM,

DE

PRIMIS PARADISI JUBILÆIS,

præcipue

DE PRIMO ANNO JUBILÆO ACADEMICO, VERE PARADISIACO,
EJUSQUE PROMOTIONE DOCTORALI,

sub exoptatissimis auspiciis

DEI PATRIS, RECTORIS UNIVERSITATIS,
SEMINIS MULIERIS, CANCELLARII DOCTORALIS POTESTATIS,
SPIRITUS DIEI, VEL SANCTI, PROMOTORIS ACTUALIS,
PRÆSIDE

D. JOHANNNE *Deutschmann* /
PROF. PRIMARIO, ET TOTIUS ACADEMIAE SENIORE, &c.

Pro impetrandis Summis in Theologia Honoribus,
publice defendet

M. ANDREAS KUNADUS,

Haftenus Ecclesiast. Witteb. nunc vocatus Theol. Luth. ac Philos. primae
in illustri Gymnasio Anhaltino Prof. Publ. ut & Ecclesiae, quae
Servestae ad aedem S. Trinit. colligitur, Pastor.

Ad diem XI. Aprilis 1722. in Collegio Majori, horis ante- & pomerid.

WITTEBERGÆ, Literis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

82.

el. XXV. 82.

II. diss. A
82

PRIMUM PARADISI
JUBILEUM

DE PRIMO ANNO JUBILEI
DEMICO VERE PARADISACO
EUSQUE NOTITIA DOCTORALI



JOHANNES QUINQUEMANNUS
PROFESSOR ET TOTIUS ACADEMIE

M. ADRIANUS KENNARDUS

WITTEBORGII

IN NOMINE JESU!

JUBILORUM OMNIUM, IMPRIMIS SACRO-
RUM AUTORIS, REPARATORIS, DATORIS,
CONSERVATORIS, & CONSUMMATORIS!

DISSERTATIO SECULARIS,

*De Primo Jubilæo Academico,
ex Historia Paradisiaca.*

I.

Beatissimus Populus, qui scit, vel novit jubi-
lationem, inquit religiosissimus &
piissimus Rex David, Ps. LXXXIX,
16. Illustrissimum hoc est presentis
Jubilæi meditationis Exordium, brevif-
simum praxeos jubilantis compendium,
& artificiosissimum artis jubilandi
breviarium, in quo cernimus partim divinum jubilationis
Privilegium, quod in verâ beatitudine consistit, & per ve-
rum, merum, atque plenum, & perfectum: Wohl dem:
exhibetur; partim integrum jubilantium regnum, quod
est populus DEI, partim convenientissimum jubilandi
modum atque methodum.

II. Privilegium Jubilationis est valde notabile, quod
in originali textu per אֲשֵׁרֵי allegatur, & per indefi-
nitam pluralitatem insinuatur, ac omnes DEI beatitudi-
nes includere videtur, de quibus juxta scripturam
prolixam commentationem instituere possemus, hâc
vice saltem ad tergeminum DEI regnum respicere placet,
siquidem jubilationes DEI comprehendunt (1) felicitates,
sive beatitudines regni Potentia, quo pertinet totum Ca-

put I. *Geneseos*, & *universa creationis historia*; nulla siquidem creatura reperitur, quæ non insignem jubilandi vel *ansam* vel *materiam* propter immensam *Sapientiam*, *Potentiam*, & *Bonitatem* Creatoris offerat, sicut *Psaltes* regius omnes, & singulos in consortium *divinæ laudis*, & *jubilationis* invitatur, iisque semetipsum *Præcentorem* coordinat, *Psal. CXLVIII, 1. seqq.* (2.) *felicitates*, sive *beatitudines regni Gratiæ*, quod *miris*, & *meris misericordie bonis* abundat, sicut partim initium *Psalmi* subindicat: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* (3) *felicitates*, vel *beatitudines regni Gloriæ*, quæ supra humanum iudicium, & æstimium sunt in cœlis repositæ, cum *nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis descenderit, quæ Deus preparavit se diligentibus, & in fide pleno corde, vel ore jubilantibus. 1. Cor. II, 9.*

III. Deinde sequitur *universale jubilantium consortium*, vel *collegium*, quod *Spiritus S.* per *טו ענה* exprimit, & hoc per *ן demonstrativum* est valde notabile, & digitis quasi cunctis demonstrabile, ut ab omnibus religiosius intendatur, & operosius attendatur, ut inde gloria *DEI* juxta voluntatem ejus multiplicetur: Insuper est *emphaticum*, cum *ן* juxta communem *Hebræorum* Sententiam *Emphasin* aliquam notare dicatur, & certe *jubilationes* ejusmodi in honorem *DEI*, nec sine *Spiritu Sancto*, nec sine *verbo cognitionis*, & *virtutis* instituuntur, & ad *Sanctificationem* divini *Nominis*, & *Numinis* referuntur; tandem *Populi nomen collectivum* est, & totam *Ecclesiam credentiū*, & in fide *jubilantium* indicat, ad quam omnis *orthodoxa* pertinet *Academia*.

IV. Ad jubilandi, vel *artificium*, vel *opificium*, *methodum* atque *modum* referuntur verba oraculi *postrema*: *Qui scit, vel novit jubilationem.* Radix: *יָרַע*
secun-

secundum Hebræos *amplissima significationis est*, sicut alias non tantum *assensum, & fiduciam*, sed insuper etiam *affectus, & effectus*, includit, adeoque *populus hic beatus non tantum jubilationes novit religiosissimas quoad intellectum*, sed etiam quoad *affectum vehementer cupit*, quoad *voluntatem expetit*, quoad *motum, & facultatem ad illas contendit*, quoad *activitatem spiritualiter agit*, & per Verbi virtutem *jubilaciones efficit*, ut per veram fidem ad *bonorem divini Numinis ordinentur, & applicentur*. Propterea David immediate subjicit: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. Et in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exultabuntur*. Quæ singula rursus nova præ se ferunt *Privilegia, sive Beneficia*, sed ea pluribus modo persequi neque libet neque licet.

V. Talis etiam *Populus* hoc ipso anno jure suo dicitur *Nostra, quæ Witteberga floret, Academia*, per divinam misericordiam non tantum per varias easq; maximas persecutiones cœlitus integro seculo post tempora *Lutherana Reformationis* conservata, sed etiam per DEI misericordissimi gratiam ex *curso seculi sequentis* nunc ad finem properans, & pias cogitationes atque meditationes in *bonorem DEI opt. Max. Summi Conditoris, & Conservatoris Academicarum*, optimo jure postulans.

VI. Hæc *Nostra Witteberga* per divinam clementiam his calamitosis temporibus superat, & ex paterna DEI Providentia nunc *annum jubileum Academicum* in Domino celebrat, & inter *media militantis Ecclesie* satis afflictæ, sicut, & *Politie* satis ubique locorum per tristissima bella turbatæ *jubila*, ex divini Spiritus favore, & fervore *latitiæ* concedit *Jubila*. Debitæ proinde *pietatis, & devotæ gratitudinis est*, ut occasione

quadam illustri data, in solenni quadam Disputatio-
ne DEO nostro *Sacra Jubilæa* faciamus, & ad *bonorem*
summi Moderatoris atque *Jubilæorum benignissimi Dispen-*
satoris lucubrationes quasdam jubilæas pro viribus
senectutis infirmis instituamus.

VII. Ipse *DEUS*, quoad *Essentiam unus*, & quoad
Personas trinus, *Pater, Filius & Spiritus S.* primus & su-
premus *Jubilæorum autor*, & *sator* est. Ipse solus in
Paradiso statim annos jubilæos, si non *formaliter, ma-*
terialiter tamen nostris *Protoplastis* fundavit, tem-
porisque successu postmodum hanc primam eorum
originem variis modis locupletavit, & ornavit. Non
desunt, qui tùm ex *Patriarcharum longævorum* propter
indicia nonnulla seculis, tùm ex *gentilium* historiis, tùm
ex eorum *Scriptis Periodos Seculorum*, & ordines
Jubilæorum observari posse statuunt. De *Judeis &*
Christianis Jubilæis res certior & apertior. Omnia suum
tempus habent, ex illo *Sapientis Ecclesiaste III. Cap. v. 1.*
seqq. Habent omnia, quæ sunt in tempore, suum ini-
tium atque terminum, nec ipsum tempus suis caret
Periodis. Et *natura*, & *recta ratio* nos docent & mo-
vent, ut *tempori serviamus*, & cum primis *initium* atque
terminum cujuslibet temporis attendamus, nec *inter-*
medium cursum ejus negligamus, sed ad *autorem* ho-
rum omnium religiose respiciamus, ejusque benefi-
cia per omne tempus nobis exhibita cum devotione
cordis & celebratione labiorum ac oris humiliter in
variis *jubilationibus* suscipiamus. Nec aliud *ratio sana*
requirere videtur. *Aves & alia bruta* juxta scripturam
sine ratione *tempora* notare, vel observare perhiben-
tur; quanto magis *excellens hominis ratio naturam intel-*
lectualem ad *temporum annotationes*, *observationes discrimi-*
mind-

minationes, & alia temporum *κερτήρια* deducere videntur. Habet quælibet *bora*, quilibet *dies*, omnis *Septimana*, sicut & *mensis*, totus integer *annus* suum *ingressum*, *progressum* & *egressum*; multo magis *integra secula* certa *pietatis* & *gratitudinis* requirunt *officia*. Ipse *DEUS creator*, statim sub primis auspiciis *Mundi* temporis rationem habere voluit, & *solem*, *Lunam* atque *stellas* ad temporum *discriminationem* & *observationem*, produxit, sicut *Moses Historicus Gen. I. 14.* notavit: *Dixit DEUS, fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa, tempora, & dies, & annos, &c. & v. 16.* Fecitque *DEUS* duo luminaria magna: *luminare majus*, ut præesset diei, & *luminare minus* ut præesset nocti, & *Stellas*; Et consequenter, omni distinctioni variorum temporum.

IIX. Nec inconueniens esset, ipsum *DEUM* verum *jubilum* & meram *jubilationem* appellare, utpote qui *DEUS* est *gaudii*, & *jubili*, *exultationis* & *jubilationis*, *Psal. XLIII, 4.* *DEUS* in se dicitur esse *jubilus æternus*, & *jubilatio sempiterna*. Omnia, quæ sunt *in DEO*, sunt *æterna júbila*, omnia, quæ sunt *à DEO*, sunt *in tempore facta júbila*. Et sic nec incommode dicitur, quod *Paradisus* fuerit plenissimus *Jubilæorum circulus*, cum primis, si tria priora *Geneseos* capita accuratius perpendimus, & limitatius inter se conferimus. Sic enim *Caput primum* offert *Jubilæum omnipotentis Creationis*; *Caput secundum* *Jubilæum omni sapientis Conservationis, Ordinationis & Gubernationis*; *Caput tertium* *Jubilæum omnimisericordis restorationis*, de quibus breviter aliquid verborum afferemus, antequam ad *annum jubilæum Academicum*, secundum instituti nostri rationem, progrediamur.

IX. Est

IX. Est certè *Caput primum Jubilæum omnipotentis creationis*, de quo materiam copiosam, & amplissimum differendi campum Moses offerret, si ratio propositi præsentis id, vel requireret, vel concederet. Nam *primus creaturarum Conditor est primus Jubilæorum sator*; quot à DEO producta sunt creaturarum genera, tot divinæ, *Potentia, Sapientia, Bonitatisque* sunt in mundò proposita *Specula*, ut abundantissima divinorum *Jubilorum*, & *Jubilæorum œquitate* vel etiam *γυναικία*, sicut itidem indicat *Psaltes, Psal. LXVI. 1. sqq. Jubilate DEO omnis terra, Psalmum dicite Nomini ejus. Date gloriam laudi ejus, dicite DEO, quam terribilia (mirabilia) sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adorat te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo. Venite, & videte opera DEI: terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam, ut flumina pertranseamus pede: ibi letabimur, & júbila decantabimus, & jubilæa celebrabimus.* Homo dicitur alias *ἡρώμα ἡαυμάτων*, nec illud absque causa suo sensu de qualibet dicendum est *creatura*: DEUS est maximus in maximis, maximus in minimis, cum primis, respectu *mirabilis ex nihilo productionis*, ut & respectu *mirabilis in nihilo constitutionis*, & respectu *mirabilis super nihilum conservationis*, & *fundationis*, imprimis unaquælibet creatura divinæ *Jubilationis* est *ansa, causa, materia, forma, meta, &c.* *Sextiduum Creationis* ipsum est *Gymnasium gloriosæ Creatoris jubilationis*. Cum primis ad hoc *jubilationis officium* nos invitat, & excitat gloriosa creationis *clausula, v. 31. Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & ecce valde bona erant, & ad jubilationem quamvis exornandam proportionata vel etiam*

iam

iam accommodata, *Jubilat ipse DEUS gloriosus in executione suorum decretorum aeternorum; jubilat in contemplatione suorum factorum, & mirabilium opificiorum, vel rectius artificiorum: jubitant cœlestes apparitores, & supremi divinæ Majestatis Ministri, Angeli sancti, sicut ipse DEUS Creator idem ex Sapientiæ arcanis occultis manifestavit, Job. XXXIIX, 7. Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii DEI? Jubilat DEO tota creatura, quævis creatura, sicut Cœli annunciant gloriam DEI, Psal. XIX, 1. & in omnibus suis proprietatibus, axiomatibus & aliis donis atque privilegiis exultant, vel suo modo jubitant. Sicut igitur Angeli tempore creationis propter ineffabilem, & inæstimabilem creaturarum productionem jubilarunt, & exultarunt, propter quos tamen mundus cum visibilibus creaturis non est conditus, multò magis respectu hominis totus mundus, & una quælibet creatura est jubilationis indicina, quæ nobis indicare potest jubilandi necessitatem, dignitatem, varietatem, &c. Et jubilationis officina, quæ propter miram divinorum bonorum copiam distinctas jubilationis officinas ostendat, offerat, & commodas jubitantibus sedes, atque mansiones concedat. Si quis etiam singulos creationis dies transire, & ex quibuslibet creaturis amplissimos jubilandi campos aperire, vel templâ sanctissimæ jubilationis in iis reperire præsumeret, nullum in hoc immenso jubilationis theatro defectum inveniret.*

X. Immensa glorie divine deprehenditur in creatione rerum *abyssus*, & hinc etiam pendet *jubilorum*, & *jubilationum* ex creaturis æqualis *abyssus*. Nullus datur hic *numerus*, nullus *ortus*, nullus *terminus*,

B

mus,

nus, continuus patet *jubilationum*, & *jubileorum* *circulus*.

XI. Neque minoris est conditionis *Jubileum*, *omnisapientie* *Conservationis*, *Ordinationis*, & *Gubernationis*. *Jubileum* cujus arcana nobis in *C. II. Genes.* referuntur, & more divino per Verbum ostenduntur, sed à nobis propter *mutatam* *rerum*, per apostasian creaturæ rationalis, *faciem*, *insecutam* *totius nature corruptionem* nunquam satis deplorandam *Imaginis divine* vel *amissionem*, vel *perditionem* plurima latent, paucissima patent. Quis hic satis explicare, vel commendare poterit *admirandam hominis formationem*, *ineffabilem anime rationalis productionem*, *arctissimam*, & per naturam indissolubilem *anime corporisque conjunctionem*! quis primas vereque divinas animæ vel etiam *Imaginis divine prerogativas*, & omnes in statu perfectionis, vel *integritatis dotes*, aut quasvis primævæ *felicitatis excellentias* enarrare, vel ex textu verborum explicare poterit? quis *Paradisi pulchritudinem*, *rectitudinem*, *plantarum*, & *arborum*, *florum* atque *fruticum*, vel *aliorum vegetabilium multitudinem*, & *varietatem*, *jucunditatem*, & *utilitatem* satis explanabit? Quis *fluminum*, & *fontium*, *collium*, & *montium*, *metallorum*, & *mineralium*, aut *aliorum naturalium secreta* paulo planius, & plenius enarrare valebit? quis *trium divinorum Statuum Ecclesiastici* videlicet, *Politici*, & *Oeconomici* rationes veras, & perfectas, quales à DEO, juxta sapientissima decreta, per creationem primam, secundum *Imaginem divinam* in naturâ fundata fuerunt, vel ex verò, vel ex congruò, vel ex decorò clarius considerabit? Neque facile quis cuncta *Secundi Capitis*, sed primævæ perfectionis, & *integritatis*

tatis secreta planius enarrare, vel plenius explicare, per vanam, & inanem imaginationem audebit. In arcanis DEI latent illa, quæ nullo, vel ingenio, vel studio humano indagari possunt. Interim Spiritus S. in Jubilæo conservationis, ordinationis, & gubernationis, quod reperitur, Psal. CIV. post Jubilæum creationis etiam hoc Jubilæum conservationis, ordinationis, & exornationis atque consummationis mirificè commendat, imprimis v. 24, sicut, & in aliis, inquit: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine? omnia in Sapiencia fecisti: impleta est terra possessione tua.* Alles hastu weißlich geordnet / und in solcher Göttlichen / allgemeinen und wunder vollen Ordnung / ist die Erde voll deiner Güter. Sed hoc Jubilæum non est nostræ præsentis Intentionis, & contentionis, cum ad statum perfectionis referendum veniat. Pergimus igitur ad *Illium Caput.*

XII. Caput Tertium Geneseos excipit *Jubilæum omni misericordissime Restorationis.* Siquidem hic manifestantur æterna Misericordiæ decreta, prima *misericordissime Voluntatis divine* revelata sunt placita, universalissima misericordiæ benevolentis, & benevolentis commota sunt *incitamenta*, vel *incentiva*. Hic in Paradiso prima DEUS obambulans preffit, & hominibus miseris impressit Misericordiæ *vestigia*. Hic desideratissima Misericordiæ salutaris inchoata sunt *incendia*, quæ se longe lateque diffundunt, & per omnia Secula, vel in omnem æternitatem se durabiliter extendunt, sicut passim in eo Scriptura gloriatur. Hic prima sparsa sunt misericordiæ Patris *Semina*, semper in copiosissimam Messem multiplicanda, & super omnem captum Angelicum & huma-

num amplianda, Hic ipsum *cor paternum* cum *omnibus visceribus*, miserationibus innumerabilibus, & ineffabilibus ruptum, fractum, & totaliter effusum. Hic copiosissima Misericordiae laborantis, operantis, & ad salutem humani generis inclinantis & contentis *indicia*. Hic tantummodo Misericordiae re-
staurantis, & reformantis *testimonia*. Hic admiranda, nunquam satis enarranda, vel explicanda *eloquia*. Hic nervosissima, sono quidem brevissima, sensu vero, vel sententia refertissima plenissimaque, reperiuntur *Oracula*, quae continent aeterna divinae mentis de peccatoris hominis reparatione cogitata, tremenda sapientiae divinae *mysteria*, optima & efficacissima divinae Voluntatis in negotio Salutis *media*, vel *remedia*, & cuncta pariter *artificia* divinae mentis sapientissime constituta, &c.

XIII. Et tanta *Misericordiae salutaris* cernitur *sublimitas*, tanta Misericordiae maris immensi *vastitas*, tanta *profunditas*, ut neque cogitatis mentis eam attingere, neque verbis ullis eam exponere liceat, sed sacro silentio haec *Arcana misericordiae* salutiferae sunt involvenda prorsusque sepelienda, solis *fidei manibus* simpliciter illa sunt apprehendenda; & in solius *confidentiae salutaris* finem reponenda. Si vero praecipua tantum Misericordiae salutiferae praesentissima documenta colligere vellemus, nunquam in hoc Capite sufficeret *numerus* ad sufficientem enarrationem, cum omnem *numerum* omnemque *censum* divinae miserationes mirum quantum transcendant. Dicitur *Omnimisericordia*, non *uno* saltem sed *omnibus* respectibus, quos nullatenus enumerare licet, cum ad *omnia peccata*, ad *omnia poenarum genera*, ad *omnia subjecta*, ad
omnia

omnia tempora, loca, & alios Universalitatis circulos se,
diffundat, & universa salutaris restitutionis *media*, vel
remedia contineat. Omnia non tantum, sed & sin-
gula Textus Verba misericordiae salutaris sunt *argu-
menta*, vel *documenta*, quod indiciis saltem nonnullis
breviter notabimus: (1.) *ex misericordissimi DEI appa-
ritione*, qua DEUS iratus, ob hominis apostasiam e-
jusque horrendam *ἀπιστίαν* & *ἀνομίαν*, justissimam iram
atque vindictam animo concepit, nullatenus autem,
instar hostis, & persecutoris, *fulgure* sive *fulmine*, vel
aliis perterrefacientibus *tempestatibus*, sed potius instar
blandi, vel *placiti hortulani*, vel Patrisfamilias com-
paruit: non ut *pœnam* inferret, sed *misericordiam* of-
ferret: non ad *justissimam destructionem*, sed ad *miseri-
cordissimam restorationem*. (2.) *Ex DEI misericordissimi
tranquilla deambulatione*, quæ certissimum fuit *animi
miser cordis* indicium, quia neutiquam exercitiis ar-
matis crudeliter ferocientibus, & clamoribus bellicis
omnia replentibus apparere voluit, sed *placidis pro-
gressibus*, & *modestis incessibus* in horto Paradisi *deambu-
lavit*. (3.) *Ex DEI misericordissimi, ceu Paradisi visitoris
& curatoris, approquinuatione*, quia variis gratiæ mise-
ricordiaeque signis ac indiciis lapsos peccatores ac-
cerfit, ac ejusmodi benevolo progressu, vel accessu
eos ad misericordiae significationem, & contestatio-
nem animavit & excitavit. (4.) *Ex misericordissima al-
locutione*, quia blandissima Legislatoris verba: *Adam,
ubi es?* sunt evidentissima misericordiae paternae *ve-
bicula*, vel *Symbola*. (5.) *Ex misericordissima Creationis
recordatione*, quam renovavit miseris lapsis memoria
creationis in *Adami* denominatione, ut Protoplasti
recordarentur, quanta gratiæ creatricis in *Adami* no-

mine bona, vel beneficia contineantur. (6.) *Ex misericordissima Peccatorum Inquisitione*, quia neutiquam eos à se repellit, sed potius ex latebris arborum ad se retrahere gestit, ut postliminiò per veram *pœnitentiam* ad misericordiæ sinum reverti velint, qui per horrendam *ἀνομιάν* atque *malitiam* ad infensissimum creatoris hostem serpentem auferant. (7.) *Ex DEI misericordissimi nominatione*, dum Augusto Nomine, *Jehovah Elohim*, est introductus, quo sæpius, nimirum *undecim vicibus Capite Secundo* non sine causa fuit revelatus, prout in gemino tractatu, de Jehovah Elohim creatore, & Conservatore variis disputationibus à nobis est demonstratum. Siquidem utrumque Nomen, & bonitatis ac amoris, & benevolentie atque misericordie fuit *κρημενον*. (8.) *Ex misericordissima Maledictionis translatione*, quia per misericordiam infinitam tale *Justitie misericordieque moderamen*, vel *temperamentum* adhibuit, ut primam, & omnium atrocissimam *maledictionis pœnam*, per dispensationem admirandam, ab hominibus in serpentem transferret, v. 16. (9.) *Ex misericordissima fundamenti salutis promulgatione*, in quo miser homo peccator omnem medicinam inveniret, & plenissimam *restitutionis officinam* in eodem obtineret, quia semen mulieris est restorationis gratiosæ principium, & omnis salutaris acquisitionis, & communicationis artificium, &c.

XIV. Dum autem hoc *misericordissimum restorationis Jubileum Academicum* ingredimur, in *Paradiso* nobis evidenter ostensum, non obscura communium *Academiarum Requisita* deprehendimus, respectu *Novellorum Academicorum*, quorum saltem pauca notabimus, imprimis respectu *Doctoralis Promotionis*, quæ
dici-

dicitur *Summum, Optimum, & Maximum Jubileorum Academicorum ornamentum, & Complementum.* Nam Spiritus S. ostendit, (1.) *Doctoralis Promotionis in Universitate Paradisi Antecedentia, vel doctoralem Apparatum,* (2.) *Concomitantia, vel constituentia, vel ipsum doctoralem statum;* (3.) *Consequentia, vel Doctoralem fructum aut effectum.*

XV. *Antecedentia* quod attinet, varia quidem ex *Cap. I. II. & III.* cum primis, quæ remotiora sunt, & Lapsum humani generis concernunt, hic notari, vel allegari possunt, sed ea propter *disputationis* brevitatem dimittimus, & potius ea, quæ *Nostrum Jubilæum* propius attingere videntur, breviter introducimus. Qualia sunt: (1.) *Academici Jubilei restorationis Existentia,* quæ primum in hoc Capite notatur, & verbis brevibus, satis tamen perspicuis revelatur, & loco fundamenti cunctis *Patriarchalibus, Propbeticis, & aliis Evangelicis promissionibus, ac attestationibus* divinitus collocatur. Hic enim ex *arcanis de rectorum divinorum* de salute nostra *Magnus Annus Jubileus,* de quo *Messias ipse* clare satis, & plene testificatur, *Esa. LXI, 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me: ad annuncian- dum mansuetis misit me, ut moderer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem. Ut predicarem Annum placabilem Domino, & Diem ultionis DEO nostro, ut consolarer omnes, lugentes, &c.* In hoc Anno per *Semen mulieris reconciliata sunt omnia per sanguinem crucis Ejus per ipsum, quæ in cælis sunt, & quæ in terris, Col. I, 20.* Et satis notabile, quod hoc loco desideratissimus peccatoribus hic *Annus jubileus* in Paradiso per ipsum *Jehovam Elobim, & ipsum Messiam* sit primitus *intimatus, Gen. III.* Postmodum per eundem

dem

dem *Messiam* sit applicatus, & uberius explicatus, *Esa. LXI, 1.* Tandem tempore N. T. per Remissionis peccatorum præconium, iisdem verbis itidem à *Messia* publicatus, *Luc. IV, 18. & 19.* Et hic *Annus Jubilæus* vere dicitur *Evangelicæ prædicationis* de Remissione peccatorum *circulus*, & *nervosissimus* non tantum, sed & *delicatisissimus nucleus*; nec sine eo vita spiritualis datur, aut dari potest. *Ubi remissio peccatorum est, ibi vita, salus & justitia*, dicit *B. Lutherus in Catech. min.* sic igitur satis certi sumus, quod *Annus Jubilæus Academicus* verè *Doctorem Promotionem Protoplastorum*, in se quoad existentiam contineat.

XVI. (2.) *Autoris Eminentia*, quia *principalis Causa doctoratus Jubilæi* dicitur *Jehovah Elobim, Pater, horti visitator, & deambulator, Filius, Verbum, vox sonans, & resonans, Annum Jubilæum evangelizans, & publicans; spiritus Diei, tenebricosa corda peccatorum illuminans, & gratie lucem de salutis mysteriis communicans.* Hic, quatenus est *Autor jubilæi totius, & Doctoralis Promotionis*, citra dubium ad *Antecedentia* referri debet.

XVII. (3.) *Subiectum*, quod alias dicitur *præcognitum*, & propterea *præexistens*, quod non est aliud, quam *Homo.* Non, qua *creatus*, & ad *Imaginem divinam formatus*, sic etenim peccata non habebat, nec remissione peccatorum indigebat, adeoque nullum *Annum Jubilæum à Messia* requirebat, *C. I.* nec, quatenus in *statu integritatis conservatus* coram *DEO* in perfectione concreata permanebat, nec ullum cum *Serpente*, vel peccato commercium habebat *C. II.* nec, quatenus à *cacodæmone seductus*, in tota sua natura *corruptus*, *Imaginem divinam spurriatus*, *monstruosaque larva serpentis turpissimè deformatus*, ac *inimicus DEI factus*
C. III,

C.III,1. *sqq.* Sed quatenus per divinam Misericordiam mediante Verbo per fidem à serpentis contubernio segregatus, & ad ipsum DEUM per Messiam revocatus erat. Sic enim vita nova, per Messiam redonatus, & Jubilei spiritualis, & dignitatis Doctoralis Candidatus esse poterat.

XIIX. Plura quidem Antecedentia nunc allegari poterant atque debebant, tum *privativa*, qualia sunt respectu *subjectorum*: Mentis tenebrositas, & ignorantia, Voluntatis perversitas, & avaritia, consiliorum perveniendi ad Annum jubileum ejusque Doctoratum inopia, nuditatis probrose presentia, timoris & tremoris, ruboris & pudoris, pavoris & horroris, & omnis alius Confusionis Copia, damnabilis erubescencia, detestabilis à DEO fuga, vana latebrarum, vel occultationis coram Deo Phantasia. Tum *positiva*, respectu Doctoralis apparatus, qualia sunt: Candidatorum doctoralium ad diviniore Sapientiæ scholam citatio: Adam, ubi es? Gravis morum illegalium examinatio, & vituperatio, legalis immorum peccatorum depositio, censura rigidioris adhibitio, morum malorum per verbum correctio, nugarum serpentinarum detestatio, & abjectio, à presentissima serpentis maledictione liberatio, & omnis maledictionis infernalis in serpentem translatio, quæ cum aliis ritum Depositionis, & Absolutionis in Doctoralibus Candidatis respiciunt, & non prorsus nihil ad Apparatum Doctoratus, licet remotius conferant. Huc etiam pertinet novellorum Studiosorum immatriculatio, tum communiter Novelli Studiosi literis, ad Doctoratum initiandi primum ut Cives Academici recipiantur, Universitatis juribus submituntur, & Academice Matricule nominatim inscribuntur. Matricula spiritualis Universitatis CHRISTUS est, verum Mulieris Semen, CHRISTUS JESUS Academia spiritualis Libertas, imo Corpus ipsum mysticum,

in quo *per fidē incorporari* debent omnes, qui vel esse, vel dici volunt *spiritualis civitatis, vel Academiae membra.*

XIX. Huc referenda quoque veniunt *rigorosa Laborum, & onerum ponderum, aliarum probationum Examina sive Vexamina,* qualia communiter in omnibus studiis, artibus & exercitiis observari consueverunt. Sicut *summus Brabevta Jehovab Elobim* præmisit *rigorosum Examen, primo Legis, v. 9. sqq. Secundo Maledictionis, v. 14. tertio crucis, & afflictionis, v. 16. Dolorum, & laborum, v. 17. & 18. quarto mortis, v. 19.*

XX. Neque nullam *Adjuncta communia* lucem afferrent, qualia sunt: (1.) *Adjunctum Loci,* siquidem hodie communiter *Doctorales solennitates* in *templis* adornantur, in quibus Aula doctoralis, quoad omnes Ceremonias, juxta leges, & consuetudines celebratur. Tale templum hic non deficit, quod est ipse Paradisus, qui tum *ὀικονομικῶς* DEI Sedes & Angelorum bonorum, quem etiam tum temporis *Cacodæmon* serpens citra voluntatem DEI, Domini Paradisi, fraudulenter & violenter occupaverat, & sanctissimas plantatoris, curatoris & Conservatoris leges ac consuetudines turbaverat, & quantum ipse potuerat, tantum in homine non destruxerat. Unde miser homo ex summa necessitate *Jubileo restitutionis & renovationis* opus habebat, quod eidem ex benignitate creatoris prorsus ex improvise, præter omnem cogitationem, & expectationem, contingebat. (2.) *Adjunctum Temporis,* quia statim primo tempore post *Lapsum,* eo ipse statim die, ex immensa DEI misericordia damnatis, & maledictis peccatoribus obtigit, *juxta vers. 8. quia Spiritus S. gratia nescit tarda molimina, nec admittit negligentiarum, vel impedimentorum* diver-

diverticula, vel obstacula, quod multis ex verbo DEI demonstrari posset, nisi res omnis in vado versaretur. (3.) *Adjunctum Modi*, qui prorsus divinus est, adeoque plurimis & maximis mysteriis abundat, siquidem *omnia verba*, vel etiam *omnes verborum positus, nexus, respectus, mira* non tantum sed etiam *mera præ se ferunt mysteria*, integra diviniore sapientiæ vehicula, quæ quidem, quoad aliquem numerum, indicare, quoad omnem vero numerum nec enarrare, nec explicare licet. Sed ab *Antecedentibus* his, aliis omisissis, ad *Constituentia* nunc procedendum.

XXI. Quorum itidem satis magnus, satis multus, satis ponderosus est numerus. Invenimus hic 1.) *Causam Efficientem*, eamque vel *primam Jehovaham Elohim*, nimirum in hoc augusto nomine (a.) *DEum Patrem* horti Paradisi tum *Plantatorem*, tum *Inspectorem*, tum *Conservatorem*, tum *Directorem*, vel *Gubernatorem*, tum *Observatorem*, & *Curatorem*, tum *visitatorem*, & *Providorem*, qui tanquam *Rector Magnificentissimus Universitatis Paradisiacæ* producit, ad quem unice *Regimen* omne refertur; & *respectu serpentis*, Paradisi turbatoris; & *respectu hominis*, Paradisi totius, omnium arborum, & cunctorum aliorum vegetabilium *cultoris*, C. II. 15. & *respectu legislatoris potestatis, dignitatis, & autoritatis*; & *respectu principalis citationis, vel vocationis, executionis & animadversionis, condemnationis & maledictionis*. *Fundator Academiæ*, vel *ipse*, vel per suum *Vicarium* aut *Substitutum Rectoratum* administrat, & cuncta per *Leges* in *Academiis* ordinatas, *morigeros & bonos laudat*, & *honoribus exornat*, & circa *honorum distributionem* cuncta dispensat, sicut etiam hic ad *laborum onera* atque *præmia* successu temporis omnes vocavit & ordinavit.

XXII. (b.) *DEUM* Filium λόγον, Vocem & Verbum Patris, Angelum מַלְאָכִים, legatum Interpretem, Job XXXIII, 23. Siquidem *DEUM* nemo vidit unquam, Filius, qui est in sinu Patris, ἡμῶν ἐξηγήσατο, noster est Exegeta, Job .I, 18. Hic primus fuit in Jubilæo nostro Propbeta, primus Evangelista, primus Myfteriorum & honorum Exegeta, cui datur omnis potestas in Cælo & in terra, Matth. XIII, 18. Qui non auro & argento, sed pretioso sanguine suo, 1. Pet. I, 19. nobis misericordiam & gratiam, omnem amorem & honorem, & alia bona cuncta potenter acquisivit, & jus collationis, vel communicationis, donationis & dispensationis sibi soli servavit, & ex autoritate, vel potestate propria tanquam Cancellarius primus & summus nostris Protoplastis, & in iis etiam aliis morigeris & fidelibus Candidatis communicavit.

XXIII. (c.) *Spiritus Diei*, vel *Lucis*, *DEUM SPIRITUM SANCTUM*, qui ratione personalis appropriationis, sanctificationis, & illuminationis, donorum & bonorum omnium est Autor atque dator, & distribuit unicuique, prout vult, 1. Cor. XII, 11. Et certe, si nemo sine Spiritu S. Jesum potest Dominum appellare, 1. Cor. XII, 3. Multo minus nostri Protoplasti in tanta confusione & consternatione, mentis obscuracione & totali voluntatis averfione, vel depravatione sine Spiritu S. cuncta mysteria Messiae, vel Salutis intelligere potuissent, nisi Spiritum S. Ductorem & Doctorem, ejusque diem, & lucem, habuissent.

XXIV. *Vel Secundam*, quæ juxta totum Caput est solum *DEI Verbum*, quod pariter lucerna, & lumen, Psal. CXIX, 104. Lux & lucifer, 2. Petr. I, 19. & ex parte *DEI* Medium unicum omnis Jubilæi, omnis restauracionis, Regenerationis, Renovacionis, &c.

XXV. (II.) *Causam Materialem*, quæ vel est *Ex qua:*
Sic

Sic & *Jubileum restamrationis*, & ipse quoque *Doctoratus Jubileus* variis constat actionibus, sicut ipsa verborum, & versiculorum series luculenter ostendit, quæ tamen modo producere non libet, cum Verba *historica* sua nativa gaudeant luce. *Vel in qua* sive Subjectum vel *Primum*, videlicet *Adam*, vel *Secundum*, uxor ejus *Eva*, tum *Jubilai*, tum etiam *Doctoralis promotionis Candidati*. Quod tamen non *exclusive*, sed *inclusive*, dicitur intelligendum, cum hoc subjectum, quoad voluntatem *Antecedentem* omnes homines, quoad *consequentem* finaliter omnes electos comprehendat. *Vel circa quam*; Est hæc partim *Theologia Legalis*, partim *Evangelica*, sicut ex v. 8. *sqq.* patet, partim *Theologia specialiter* ita dicta, quoad *Unitatem Essentia*, & *Trinitatem Personarum* in *Jehovah Elohim*, v. 8. *sqq.* partim *Anthropologia*, quoad distinctos hominis *status* per *totum Caput*. partim *Christologia*, quoad omnia ejus *mysteria*, dum tota doctrina de *persona*, *statibus*, *officiis* & *beneficiis* ejus in *Prot-Evangelio* invenitur v. 5. partim *Mysteriologia*, per omnem *Capitis latitudinem*, partim *Escbatologia*, v. 19. uno verbo: Sistitur objectum in *Symbolica*, vel *onomastica Theologia* nominis *Eve*, v. 20. Vel etiam *Jubileum Messianum* versatur circa *Remissionem peccatorum*, h. e. circa *peccatoris hominis justificationem*, quæ *Jubileum* omnem absolvit, tum *in esse suo* materialiter constituit.

XXVI. (III.) *Formalem*, qua ratione forma, vel *externa* est, sive textualis juxta positum Verborum & versiculorum, & nexum omnium partium, quæ forma dicitur major omni exceptione, cum sit ipsius *Spiritus Sancti*. Et alias eminentissima *Textus structura* per ipsum *Spiritum S* ostensa dicitur *Theologis externa Forma*; vel *interna*, quæ suo modo dicitur *generalis*, ni-

mirum, *sensus* divinus *verbis* externis comprehensus; quia sicut *sensus* cujuslibet *vocis*, & *Phrasedos*, ita pariter *sensus* totius *Capitis* *interna* *forma* nuncupari potest; Et *specialis*, qua ratione distincte notari posset *Forma* *specialis* tum *Jubilei* *primi*, tum etiam *doctoratus* *Jubilei* *primi*, quæ utraque multis modis considerari, vel explicari posset. Nos in præsentī dicimus, quod *Messias* respectu *DEI*, *Fides* respectu *nostri*, & sic *Messias* *fide* *apprehensus* dat *Esse*, dat *Distingui*, dat *Operari*, juxta trita *Formæ* *Requisita*, vel *officia*, tum præsentī *Jubileo*, tum etiam præsentī *Doctoratui*. *Christus* ex parte *DEI* nobis *omnia*. *Fides* ex parte *nostri* pariter est *omnia*, quia *sine* *fide* *prorsus* *impossibile* *dicitur* *placere* *DEO*, *Hebr.* *XI*, *6*.

XXVII. IV.) *Causam* *Finalem*. *Finis* autem rursus vel est *communis*, respectu *omnium*; Et hic pariter varius, tum *intermedius*, nimirum (1) *Nostri* *cum* *Deo* *Reconciliatio*, *Col.* *I*, *19*. & *20*. quia totum & omne *Ministerium* *legatione* *fungitur* *pro* *CHRISTO* *ad* *nostram* *Reconciliationem*, sicut *Paulus* *scribit*, *2.* *Cor.* *V*, *18*. *19*. sicut *Gen.* *III*. *Adam*, & *Eva* quoque per *Verbum* *Reconciliationis* *Deo* *prorsus* *reconciliati* *fuerunt*. (2) *Nostri* *coram* *Deo* *restitutio*, dum ex *gratia* *Dei* ea *omnia*, quæ per *seductionem* à *Satana* nobis erepta fuerunt, plenissime à *CHRISTO* *restituta* *sunt*, in quo facta *δοτικα* *τάξις* *πρὸς* *τὸν* *θεόν*, sive *Restitutio* *omnis*, *Act.* *III*, *20*. siquidem & per *Jubileum* *Messianum*, & per *Doctoralem* *Messie* *Promotionem* nihil aliud intenditur, quàm *Restitutio* *omnium*. Quàm latè patet *serpentis* *malum*, tam latè quoque patet *seminis* *mulieris* *bonum*. Tum *ultimus*, qui per unicum *Verbum* *vitæ* nobis exprimitur & imprimitur, cum hæc *vita* *Symbolica* sit *latissima* non tantum, sed etiam *plenissima* *significationis*, & est *adequatum* *derivatum* à *vita* *Messianâ*, vel *Seminis* *Mulieris*, *v.* *15*. utpote quod est *primum* *mobile* *eorum* *omnium*, quæ per integrum *Textum* *sequuntur*. Sicut enim *Christus* est *objectum* *adequatum*, *scopus* *adequatus*, & *circulus* *omnium* *eorum*, quæ per universam *Scripturam* *ad* *salutem* *nobis* *annunciantur*; ita pariter idem de hoc *Capite*, imò de præsentī *Jubileo*,

leo, ejusque Doctōrali Promotione dicendum est. Proprius autem Finis respicit præsens Tempus, præsentem Solemnitatem, & hanc etiam præsentem Disputationem, quod brevibus nunc saltem adducimus, quod alium ob finem neutiq̄vam hoc Jubileum primum Academicum, vereq̄ve Paradisiacum produxerimus, quàm ut præsens nostrum Jubileum, & quidem Academicum, in hoc ceu fundamenta notemus, ad hoc tanquam objectum cuncta referamus.

XXIIX. Tandem ad ipsa Consequentia Jubilei, vel ejus Doctōralis Promotionis, ut omnia convenienter finiantur, & salutariter concludantur, progredimur. Nam ipsa Jubilea, quæ vocantur Academica, communiter Doctōralibus Promotionibus in Domino terminantur, & ad finem deducuntur, quæ pariter sua *πεπουσία* & Consequentia solent admittere. Plurima quidem, eaque notatu dignissima, *textus* satis evidenter prodit Consequentia, quæ neutiq̄vam omnia colligere, vel exponere volumus, sed ad *præcipua* saltem respicimus. Qualia sunt: (1) Doctōralia officia, cum insignis Promotio Doctōralis non ad *otium*, sed ad *negotium*, & ad officia, vel *publica*, vel *privata* destinatur, sicut *novelli Doctores, Adam, & Eva*, ductu Sancti Spiritus statim docendi profitendique munus alacriter susceperunt, dum ex directione & commissione divina mox *Adam publicus* factus *Theologiae Doctōr*, & *Symbolicam*, vel *Onomasticam vitæ spirituales Theologiam publice* professus est, quando Conjugem appellavit Evam, & omnem *vitæ spirituales doctrinam* hoc nomine complexus, sicut *pecul. Tractatu, de vitæ spirituali Adami*, prolixè demonstratum, v. 20. Mox etiam *Eva Doctōris partes* suscepit, & *ἡρώων*, atque *πεδέξι* Christologias officio privato proposuit c. IV, 1. (2) Doctōralia Specimina. Nam sicut communiter Doctores post solennem Promotionem *Specimina* notabilia cunctis edere consueverunt; ita pariter *novelli Doctores primi, Adam, & Eva*, egregia hæc jam allegata *Specimina* ductu Spiritus S. ediderunt, quæ certe *nervosa* sunt & *ponderosa*, maximeque *fructuosa*. (3) Doctōralia vestimenta, quia novis indumentis *re- cens creati Doctores vestiuntur*, & à plebe, vel aliis inferioris fortis ordinibus distinguuntur; ita pariter ipse *Jehovah Elobim* de *Vestimentis horum novorum Doctōrum* sollicitus fuit, & omnem nuditatem

tem

tem probrosam his *pellicem tunicis* obtegere voluit. (4) *Doctoralia Ornamenta*. Siquidem *pilei Doctores*, *annuli*, *libri*, vel alia *novis Doctores* conferuntur; sic & *primi novi Doctores* *vestibus ex pellibus sacrificialibus* pulcherrime condecorati fuerunt: *Pelles* etenim *sacrificiales* verè fuerunt *sacerdotales*, id quod scriptura passim declarat, cum primis *Esa. LXI, 10.* in *persona fidelis animæ Messias* ipsemet exponit. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit.* Addit ibidem etiam alia *pretiosa Doctoratus* *καθημέρα*: *Me quasi sponsam decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis,* Quo pertinet etiam *annulus desponsationis*, *Hos. II.* & alia *pretiosa κοιμητικά sponsarum*, quæ prolixo numero ex *Psal. XCV.* & integro *Cantico Canticorum* notari possunt. (5) *Doctoralia facta*, vel *Exercitia*, quæ *novis Doctores* in *Concione penitentiali*, vel *Epianorthotica*, v. 22. juxta *divinam, & authenticam Interpretationem*, *Apoc. II, 5.* *Officinæ perpetuæ* instar sunt commendata: *Memor esto, unde exiveris, & age poenitentiam, & prima fac opera.* Quod debet esse *ενημέρον* semper *presens*; *Μνημόνευε* dicitur indefinite *memoriale* *quotidianum, & perpetuum.* (6) *Doctoralia divine Vocationis opera*, cum omnes *Doctores Dei* sint *officiales*, & ad certam *Dei vocationem* ejusque *Labores strenuos* sint ordinati. Quemadmodum *Protoplasti* sunt ex *Paradiso dimissi*, ut *terram colerent*, & *opera sue vocationis* indefinenter expedirent. (7) *Doctoralia Consortia*, sicut *novi Doctores* è *vulgi commercio*, vel *confortio* per ipsam *Promotionem* evehuntur, & ad *magnorum Virorum Dei*que *ministorum contubernium* admittuntur; ita pariter *Protoplasti* per *divinam gratiam* ad *Angelorum, vel Cherubim coelestium incolarum sodalitium* admissi sunt, ut *terrestria, vel mundana spernerent*, & ad *coelestia* respicerent, atque summo studio contenderent. Plura modò charta non capit. Nos *DEUM* ex intimis rogamus, ut *hec, & alia Anni Jubilei Paradisiaci* nobis *hoc Anno Jubileo Academico* ex *paternâ misericordiâ* renovare, & his calamitosis temporibus *Magnalia Doctoralia* cuncta multiplicare, nobis per *fidem* potenter, & efficaciter applicare velit, propter *CHRISTUM Cancellarium*, in *Spiritu S. Promotore Summo, Optimo, Maximo.*

••(0)••

Coll. diss. A. 25, misc. 82

••